

3847

DE
REMEDIIS AMBIGVIS
ET SVSPECTIS

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
VENIA

P R A E S I D E

D. ERNESTO GOTTLOB BOSE

PATHOLOG. P. P. O. FACVLT. MED. SENIORE,
ACAD. DECEMVIRO, COLLEG. MAI. PRINCIP.
H. T. PRAEPOS. ET APVD LIPSICOS
POLIATRO

PRO DOCTORIS GRADV

D I S P V T A T

CHRISTIANVS GOTTHELF SCHREYER

DRESDENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

AD D. II. APRIL. A. R. G. MDCCLXXXIV.

L I P S I A E

EX OFFICINA BVISCHELIA.

Pharmacol.

gen.

134, 18.

Mat med. 15

REMPERDUS AMBROSII
ET SUSPECTIS

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

VERBA

ACTIVS Fabul. VI.

Non igitur debent pro vanis certa relinqui.

D. ERNESTUS BOSE

TALHOOD...
ALAD...
H. P. ...

PRO DOCTORIS GRADU

CHRISTIANVS GOETHELLE SCHNEIDER

AD D. H. WELT A. N. G. PRODOXIM

EX OFFICINA...
LAPSIDA



I.

Mille malorum, humano corpori plus vno modo fatalium, esse causas, atque mille quibus mortales ad fatalem supremam diei rapiuntur terminum, esse generamillenis quoque edocemur exemplis. In istorum vero tristissimorum euentuum origines imprimis inquirendum esse medico, ante quam ad ipsius mali, tam praesentis, quam e longinquo saltem imminentis indolem plenius cognoscendam, atque ipsius violentiam efficacius infringendam progredi possit, ordo quem artis regulae praecipiant, ipsaque diuersa morborum conditio postulat. Quodsi causas ignoraueris, effectum tuto tollere haud valebis, nisi fati benignioris potius felicitate, quam scientiae dexteritate suffultus, praeter meritum et opinionem, voti fueris compos redditus. Nihilominus aliquando est diuinandum. Omnem tamen totius medicinae ambitum, nonnisi in certis coniecturis atque ambiguitatum nodositatibus esse obscuratum, quod obrectatores eius contendunt, absolum est credere. Non enim ita omnes morborum causae latent, vt nullo plane studio cognosci tandem posse videantur. Quaedam manifestae fati sunt, quaedam sollicitius demum explorandae. Neque omnes eodem in omnibus corporibus agunt modo; celerius quaedam in effectibus suis producendis deproperant, atque vix susceptae, inopino aggrediuntur impetu; e longinquo multae per plures menses et annos, variasque dolosas ambages, mala ventura moliuntur, non minus tamen periculosa futurae, cum negligenter

Morborum causas nosse decet,

varias quidem.



prudentiore
tamen reme-
diorum dele-
ctu deuin-
cendas.

gentius habitae, viribusque sensim captis, tanto acerbiora violentiae suae edant documenta, quanto firmiorem sibi in corpore sedem, clandestino suo incremento, ex longiore mora contracto, parare potuerant *). In cunctis vero, quibuscunque demum malorum, corporis humani integritatem conturbantium causis, sollicitè detegendis, maximam medici curam, atque exoptati quoque eventus positam esse felicitatem, omnium euictum videtur consensu; longe tamen existimauerim feliciorum, cuius intentioni atque curandi prudentiae, in maligniorum et clandestinarum causarum atrocità praecauenda, aut praesentium debellatione expedienda, successus omni ex parte responderit. Haec videlicet est, qua statim, origine atque sede morbi cognita, incedi oportet via. Hac tuto peracta, de negotiis rectè gestis, deque victoria legitime impetrata, merito gaudere conueniet. Vti tamen non eadem semper est malorum origo et indoles, ita et in remediorum iisdem opponendorum vario apparatu administrando, prudentem adhibendam esse circumspectionem, vel me non monente quilibet vltro perspiciet. Violentius quaedam sunt oppugnanda, in quibusdam leniore modo remi peragendam esse, ratio imperat. Abundantiam humorum quandoque imminuere, quandoque defectum ipsorum reparare conuenit; iam frena ipsorum iniicienda sunt rapiditati, atque conturbationibus inde extimescendis, in tempore obuiam eundum; iam ne segnitie corrumpantur, commotione et excitatione indigent; nunc in ipsorum saltem emendatione acquiescere, satis est. Nunc excretiones auctas cohibere, nunc suppressas reuocare, indicationes variae iubent. *e. s. p.* Diuersa profecto negotia, diuersis modis expedienda. Quae cuncta, vti numquam in medici potestate ita sunt posita, vt nec parum nec nimium se effecturum, indubitato praescire possit augurio, ita quoque tanto maiore cum cautione sunt administranda, quanto citius illud, quod inter corporis humani solidas atque fluidas

*) CELSVS in Praefatione.



fluidas partes proportionatum vigere debet commercium, citra expectationem saepe violatum, grauissimis incommodis producendis, non aequae facile semper emendandis, reddi poterat aptum. Est ea nempe potior prudentiae medicae pars, vt, dummodo non omni felicitatis destituta fuerit adiutorio, ita in arte facienda procedat, vt non solum causarum, morbos facientium, ipsorumque morbosorum effectuum grauitatem apte metiatur, verum etiam praeterea subiectorum et remediorum indolem et vires sollicitate exploret atque conciliet, atque sic medicus officio suo, quantum per naturae licet obsequium, facere satis studeat. Quo vero plura sunt, quorum ope ad finem exoptatum assequendum perueniri potest, remediorum genera, ex quolibet naturae regno petenda, tanto plenius quoque ipsorum cognouisse expedit virtutes, quandoquidem haudquaquam talis omnium est conditio, vt, quae ab ipsis sperabantur agendi rationes, indubitato subsequaturas, certis augurari possimus argumentis. Perquam multis profecto res medica abundat simplicibus, compositis, atque artificiosis productis, quorum copia propemodum onerosa magis quam commoda esse videtur, et quae frequentius impune, et sine vlllo consilio, ab audacioribus potissimum, in mortalium detrimentum verti consueuerunt. Ambigua puto, aut plane suspecta medicamina, a quibus abstinuisse potius decet, quam temeraria ipsorum administratione in corporis desaeuuisse vires. Numquam nempe periculo vacabunt, quorum determinatum effectum praescire impossibile est; ideoque antiquiorum monitis, non omne hac in re renuisse obsequium, optimum videbitur consilium, *tutius nempe esse, suadentium, nullo, quam ambiguo medicamento uti, ne, quo morbo periisse dicendus erat aeger, medicamentorum sinistre adhibitorum exstinctus deprehendatur violentia.*

II.

Suspectum autem dicitur, de cuius veritate aut bonitate non dum satis perspecta, neque certis argumentis aut sufficienti-

Suspecti notio.



bus signis confirmata, adhuc dubitandum est, cuius adeoque etiam euentus, praeteritis vix vnquam semper apte respondet, atque talis non est, qualem speraueramus, aut rationis ope tuto praeuideri posse credebamus, ambiguus videlicet, aut plane contrarius, parumque constans. Suspectus merito iudicatur homo, cuius fides eapropter sublesta est, quoniam ipsius facta dictis non conueniunt, et quem saepius honestatis aut amicitiae speciem affectantem, pessimis tamen tegi vitiis intelligimus. Siquidem SENECA teste, *virtutibus vitia saepe sunt confinia, et perditis ac turpibus recti est similitudo. Sic mentitur prodigus liberalem, imitatur negligentia facilitatem, temeritas fortitudinem* *). Ea enim est humanae calliditatis indoles, vt dum recti specie turpissimos mores occultare norunt mortalium quamplurimi, maxime tamen suspecti tandem deprehendantur, postquam a perspicacioribus, propius in ipsorum facta inquirentibus, pessimae simulationis vestigia luculentissime euoluuntur, atque

quod tegitur, maius cernitur esse malum **).

Hanc captandi, imo decipiendi artem nullibi non obuiam, tanto decet euitare diligentius, quanto grauius eandem clandestina sua fraude nocere posse, in omni vitae genere animaduertimus. Eadem ratione, morborum atque symptomatum suspectorum comparata est indoles, quorum saepe adeo subdola est facies, vt nihil minus quam sinistrum nunciare credantur euentum, quem tamen, propter causarum, antehac paulo profundius latentium, subito postmodum euolutam violentiam, satis manifeste denique cognoscere licet. Simili hinc sensu, in re medica, suspecta dici possunt medicamina, quorum aut speciosa nomina, mira propemodum virtutum pollicentur prodigia, magnum tamen istum effectum, quem proditura credebantur, neque ex voto, neque aequali in omnibus operandi modo

COM-

*) Epist. CXX.

***) MARTIALIS Libr. III. epigr. 42.



comprobantia; aut, quae per experientiam nondum satis confirmata, certo atque constante cum successu vix adhiberi possunt, adeo ut, quoniam ambigua sunt, medicum ab omni haud liberum praestent metu, administrationem ipsorum, confidenter nimium susceptam, perpetim comitatus, cum saepe contrariis plane virtutibus spem de se conceptam deludant. Quo vero magis medico, morborum curationem suscepturo, in eo est laborandum, ut de indicatorum satis certus sit facultatibus atque efficaciae gradu, tanto cautius abstinere decebit a talibus, quorum usu, malorum grauitatem facile exacerbata iri, suspicandum erat, nomine licet ipsorum multa egregia pollicente, atque thraeonis phaleris commendato. Non abs re proinde fore arbitror, si quidem in quibusdam, non omni suspicione carentibus medicamentis, paulo curatius lustrandis, aliquam collocauerim operam atque, quam parum nonnulla integrae sint fidei, non quidem peritioribus, institutione hac non indigentibus, sed aliis, in arte nondum satis exercitatis, eandemque aliquando facturis, declarauerim, non ut ab omnibus meticolosius abstineant, sed ut tamen, non omnem in ipsorum usu posthabendam esse circumspectionem, intelligant.

III.

Circa generaliora quaedam remediorum capita, aliquam prius posuisse non poenitebit operam, quam ad nonnullorum specialiorum deueniatur disquisitionem, quandoquidem in genere quoque medico quam maxime deliberandum est, ad qualem indicatorum recurrendum sit classem, ante quam de vno alteroue medicamento speciatim seligendo, decernere quidquam possit. Et quidem euacuantibus potiore non haud dene-gandum esse locum, non sine ratione forte arbitror. Vti nempe fluidorum insignis admodum copia, tum corporis humani maximam constituit partem, tum et multorum, fere dixerim omnium, vel potiorum certe morborum, ab internis inprimis causis prouenientium, intra se complectitur origines, etiamsi solidae

Euacuantia,
quatenus sus-
pecta.

solidae



solidae quoque partes non omni semper culpa vacare soleant, ita et de illorum abundantia et qualitate subinde imminuenda et emendanda sollicitè cogitandum esse, saepius in scholis pathologicis pariter ac therapeuticis praecipitur. Inter ea autem, quae quantitatem tam fluidorum totius corporis, quam et congestionum minus laudabilium, intra primas potissimum vias pertinacius haerentium, notabiliter imminuere, imo et quandoque ipsorum qualitati corrigendae opem ferre valent, purgantia utpote frequentiora, potiora quoque esse videbuntur, quorum quippe ope, insignem satis peregrinarum particularum, quae aut superfluae aut perniciosae esse poterant molem, ex oeconomia animali proscribi oportere nouimus. Ipsorum autem principia agentia, pro mixtionis partium diuersitate, nunc leniora nunc potentiora esse, in vulgus est notissimum, indeque ad modum in eorum usu tenendum, variarum dosium proportionum esse obseruandas, prudentiae therapeuticae regulae imperant. At, quis est, quin facile perspicere possit, quam parum humanae conueniat potestati, constantes hac in re naturae ponere leges, atque actionum corporis humani gradum, medicaminum effectui sperato numquam exacte responsurum, ad scrupulosissimae mensurae modum strictissime definire, cum vtriusque vires profundissimae adhuc ignorantiae spissa caligine tectae lateant, vel certe nondum omni ex parte ita sint cognitae, ut argumentis omni dubitatione superioribus, de ipsarum regimine, ad voluntatem et votum medicorum instituendo formandis, plena concedenda sit fides. Videtur quandoque natura monitoris egere, cum ad purgantia deueniendum est, haud infrequenter tamen etiam, peregrinarum particularum impatiens, sponte sua officii sui memor, corpus absque vlllo medicamento ab impuritatum oneribus liberare molitur. Facile autem praeuideo, promptam admodum opponi posse obiectionem, in illis potissimum casibus, vbi propter debilitatis morbosae conditionem, tantus roboris naturalis videtur vix esse vigor, cuius ope, quae ceterum sponte, atque solius naturae beneficio

ficio



ficio perficiebatur, similis nunc expediri valeat eiectio. Neque prorsus inficias iri poterit, naturam utique satis efficacibus quandoque indigere adiumentis, ipsiusque corporis talem saepenumero esse statum, ut solidiorum atque continentium partium vis, validiori peregrinorum onerum expulsionem haud sufficiat, nihilo tamen secius, quo minus ad purgantem cuiusdam dosim, contentorum excernendorum determinari possit quantitas, subiectorum haud aequalis saepe temperies impedit, ex cuius diuersitate, vix vnquam exactum de futuro effectu duci posse calculum, sponte innotescit. Quod si nempe pluribus, vel iisdem etiam subiectis, omni tempore eadem purgantem cuiusdam exhibeatur portio, qualem regulae scholarum formularium praecipiant, nunc profecto plus, nunc minus euacuando, constantem in omnibus haud praesciri posse efficaciam, facile intelligetur, cum quae sensilitatis gradu quam maxime inter se disparia sunt corpora, vario quoque modo a remediorum actiuitate afficiantur, cuius sensilitatis causam, in interiore ventriculi et intestinorum textura potissimum atque in ipsius materiae egerendae nunc faciliore nunc operosiore solubilitate et mobilitate quaerendam esse, haud quaquam dubitare conuenit. Inde nimirum est, quod exigua etiam purgantem dosi accepta, ventriculus tenerior et irritabilior, eiusdem lenissimo licet stimulo vehementius affectus, eandem vomitu remetiatur, atque sic, quod intestinis repurgandis dicatum erat remedium, in contrarium prorsus emetici vertatur vsus, cuius vix aequae commode a quolibet ferri possunt molestiae. Vnde etiam euacuandae materiae copiam, non semper voluntati atque expectationi respondere posse, facile apparet. Nunc enim expeditius solui, moueri, et expelli valet, id quod consistentiae ipsius minus tenaci, atque vegeto intestinorum motui, et viarum meabilitati gratum habendum est; nunc vero, cum viscida, lenta, contumaciorque fuerit, vix moueri, nedum promoueri poterit, atque sic, quod in purgandi finem datum erat remedium nihil minus quam officio suo, ex intentione medici faciet satis, cum

B

intra



intra tubum intestinale iners haereat, atque vehementioribus ut plurimum pressuribus, torminibus, quin etiam obstructionibus, occasionem subministret, tandemque liporhythmias, spasticas commotiones, capitis conturbationes *e. f. p.* excitando, nociuum euadat. Neque in alio superdato nouo purgante, magnam euentus melioris ponendam esse fiduciam, existimandum erit, siquidem, quae satis iam dura excitata fuerant incommoda, maiore subinde, per irritationem repetitam capere posse incrementa, non sine ratione suspicari licet. Quod, cum non infrequenter accidat, atque non raro vicissim ex purgante, parciore dosi dato, vicibusque reiteratis sumto, satis commoda subsequatur euacuatio, tanto certius constare poterit, quam parum, suspectorum, vel certe ambiguorum remediorum nomine sint indigna, quae eodem modo adhibita, eademque proportione semper data, diuersissimis nihilo minus, contrariisque prorsus effectibus producendis aptissima evadunt *). Paulo magis adhuc suspecta videntur esse vomitoria, quae nempe nervosam ventriculi texturam, agillimis acrioribusque spiculorum suorum stimulis vellendo, impetuosiores contentorum exturbationem, frequentioribus et operosioribus moliminibus expediendam non sine notabili producunt molestia, tantoque maiore cum circumspectione ea propter sunt administranda, quanto vehementior est ventriculi et vicinarum partium, quinimo totius corporis concussio, quae vomitionis tempore excitatur, qua citra expectationem aucta, (nam et hic exactissime proportionis infallibilem ducere calculum, impossibile est) pectori abdomini, capiti, oculis, non solum grauissimam inferri vim, verum etiam tenerissima ventriculi, cerebri et pulmonum vasa, a vomitoriis potissi-

*) An purgantia in vniuersum sint reiicienda, hic disputare non attinet, tuetur tamen hanc sententiam SINAPIVS in *absurdis veris*. Geneuae: 1697. editis, Part. I. Cap. 2. §. 2. ea propter, quoniam non solum vna cum prauis humoribus bonos euacuent, atque ventriculum conturbent, verum etiam lenti veneni ad instar, profundius ad viscera adigantur.



tissimum violentius affecta; a rupturae discrimine vix esse tuta, haud difficulter apparet, atque compluribus tristissimis euentibus innotuit *).

IV.

Verumtamen non semper crassiora et grauiora, quae intra primas potissimum vias haerent contenta, e sede sua impetuosius proiici tentantur, a quorum quippe diuturniore mora, molesta quamplurima, nutritionis imprimis negotium quam maxime offensa, metui poterant symptomata, quin etiam intra ipsos vasorum, sanguinem aliosue humores ab ipso segregandos vehentium recessus conuersis, plus vna detegitur causa, qua, cur de ipsorum quantitate imminuenda, aut praua materia conuenientium remediorum ope educenda cogitandum sit, indicari videtur. In omnibus autem, ab humorum diuersi modo peccantium prauitate oriundis morbis prolixius hic enumerandis, fusiolem agere haud opus est commentatorem, cum non tam causarum, et ab hinc prouenientium phaenomenorum seriem disquirere sit constitutum, quin potius ipsam saltem tenuiores euacuandi rationem dispexisse, sufficere possit. Est quidem ea corporis nostri conditio, vt ope vasculorum exhalantium, innumeris ostioli in omni cutis superficie patentium, quouis propemodum momento, satis notabilem, quamuis haud semper sensibus percipiendam, emittere valeat humidi, superflui, tam subtilioris, quam et spissioris vinctuosique copiam, quam, perspirationis plus minus sensibilis actionem, in statu naturali maxime vero morbofo, diuersis de causis, distinctis admodum sese prodere indiciis, atque non exiguis subinde commendari commodis, ex physiologia pariter ac pathologia abun-

Diaphoretica.

B 2

de

*) De haemoptysi ex vomitorio excitata, vid. RIEDELINI *Lin. Medic.* ann. 5. Mens. Iul. Obs. 9. pag. 694. De ecchymosi oculorum ex vomitu, confer. *Acta Natur. Curiosor.* Dec. 3. ann. 156. Obs. 298. alia vt taceam exempla, apud HILDANVM, LVSTANVM, aliosque practicos reperiunda.



de constat. Excretio haec, dum sine virium iactura contingit, imo quotidie contingere debet, tanto praestantius constantioris esse solet sanitatis praesidium, quanto studiosius saepe naturam in illa promouenda, atque morbis etiam quamplurimis, ipsius beneficio, per crisin saluberrimam soluendis, occupatam esse cognoscimus, et quanto copiosorem quavis die fluidis nostris parari intelligimus accessionem, haud ita quidem in salutem corporis cedentem, quin cum notabili ipsius potius detrimento in illo detineatur, adeo ut SANCTORIO teste plurimum librarum opus sit euacuatione, per varias excretorias vias expedienda, pro aequilibrio, ab hac quoque naturali functione vel maxime pendente, intemerato conseruando. Accidit tamen, tum incuria aut culpa mortalium, negligentius viuentium, tum propter alias internas quoque causas, in solidis aut fluidis haerentes, ut conturbatae hinc, aut penitus suppressae excretioni, tanto citius et efficacius sit succurrendum, quanto grauiore molestias, imo etiam pericula, a rheumaticis doloribus, tumoribus serosis, pressionibus, anxietatibus, lassitudinibus suspectis, *e. f. p.* metuenda esse nouimus, quorum malorum, haud profecto laeuus aestimandorum principis, nisi tempestiue obuiam eatur, contumacissimis stasibus, infarctibus, imo funestissimis inflammationibus, nimium commodam subministrari opportunitatem, subinde animaduertimus. Cumque non semper omnium in vniuerso corpore contentorum fluidorum peccet volumen, sed peculiari quandoque visceri, ex humoris cuiusdam lentore, copia, aliaue causa variam nascantur incommoda, neque eapropter etiam materia morbosa per totius corporis spiracula cutanea educenda sit, variis quoque medicaminum generibus hic opus esse, facile apparebit. Vniuersali ratione, toti corpori inseruire poterunt diaphoretica. Est vero alia quoque, qua notabilis feri, acrioris imprimis portio, per vrinarios ductus euacuari solet via, diureticorum ope sollicitanda et recludenda, priori proximo affinitatis gradu iuncta. Neque tamen per se ita agere solent sudorifera, ut humo-
ribus



ribus intimius quasi commixta, ipsos mechanica quadam potentia a sanguine seiungere, ad ex retorios ductus determinare, atque per eosdem expellere valeant; hoc enim posito, verosimile videri posset, aliquam inter sudoriferorum quantitatem, et inter vim potentiae in materiam serosam expellendam, cuius tamen copia obscura est, agentis statuendam esse proportionem. Veruntamen, cum non ignoremus, eadem ita saltem in corpus agere, vt humorum motui tantummodo aliqua ex parte augendo opem ferant, crassiores partes attenuent, spissiore ipsarum consistentiam diuidant, atque humores, mobiliiores et meabiliiores redditos, ad liberio rem progressuum cursum placide disponant, plurima profecto ceteroquin naturae relinquenda esse viribus, atque corporeae cuiusuis dispositioni, haud difficulter iudicare conuenit. Nisi enim etiam cutaneorum spiraculorum accedat reclusio, non semper per fluidorum subinde appellentium vim atque molem obtinenda, nisi cutis praeterea, obsequiosa sua mollitie, liberio rem perspirabili materiae concedat transitum, optimorum certe remediorum frustra sperabitur effectus. Imo, fieri posse, haud infrequenter intelligitur, vt non solum, qui antehac parum sudoris transmittabant pori, nunc vehementiore caloris atque appulsus accedente gradu, per sudorifera aucto, magis obstructi, omnem fluidi excernendi remorentur transitum, sed etiam anxietatum, inflammationum, exanthematum intempestiue prouocatorum causa fiant, aut ad alterum extremum delati, suoque tono violentius tandem priuati, humorum colliquatione superueniente, nimiae fluidorum prorsus resolutorum, cedere cogantur profusioni, indeque medicamenta sudorem pellentia, potissimum volatilia, non omni suspitionis carere vitio, comprobent. Idem propemodum de diureticis esto iudicium, quae magis forte imaginaria saepe sunt, quam qualia vere esse existimanda erant. Ecquis enim tantam opinabitur medico esse potestatem, qua in renales et vrinarias tantum vias, reliquis aliarum partium ductibus exclusis et praetermissis, imperium teneat,



atque voti sui per medicamenta, hoc, neque alio modo sibi obsequiosa futura, se compotem redditum iri, in dubitato confidere possit? cum proxima quaedam, qua immediate ad organa ista deueniatur, haud pateat via, quin potius, dum per plurimos prius vasorum eundum est ambages, dumque ius, transitum in alios humores et organa prohibendi, tale non competit, quo vrinosae et lixiviosae coercendae saltem sint particulae, parum profecto esse videatur, quod ad solum locum, cui repurgando dicata erant ista medicamina, transeat; adeo, ut vix, ac ne vix quidem, cum materia peccans per urinam putabatur egressura, impediri tuto possit, quo minus aliorum quoque humorum commotio, mutatio, et per alia ostia euentura euacuatio, indiuulsus diurescos fiat comes. Ne quid praeterea dicam de solidiorum quoque partium laesione metuenda, si quidem potentiora stimulantia, balsamica acria, similiaque adhibeantur, quale quid haud infrequenter in vlcerum renalium absterfione, in incauta gonorrhoeae suppressione, aut in attentata calculi comminutione et expulsionem fieri solere, pluribus, tristiore euentu confirmatis, atque, ut extantiora saltem commemorares, mictus cruenti, aut etiam frequentioris et inuolutarii, aut stranguriosi lotii stillicidii, imprudentia hac prouocati, constitit testimoniis.

V.

Alterantia,
et.

Sunt et alterantia, repellentia, stimulantia, anodyna, analeptica, aliaque complura, quae tam in re medica, quam in arte quae manu operatur, non facile negligi posse creduntur, remedia, quorum quoque mentionem in genere per seriem faciendam esse, necessum videri poterat; cum vero non tam circa generaliora omnium capitum occupari placeat momenta, sed ad specialiora potius quaedam deuenire constitutum sit, ex quorum disquisitione, argumenti propositi veritatem luculentius paulo declarari posse confido, copiosiore reliquorum expositione facile supersedeo, quandoquidem ex iam praemissis,
ad



ad omnia remediorum genera applicatis, satis superque cognosci poterit, vix vllum extare medicamentum, cuius tanta, tamque determinata sit virtus, quae et nomini exactissime respondeat, et medentis intentioni ita sit factura satis, vt numquam suspicioni, quamuis non semper grauiori, aliquis relictus sit locus, quapropter etiam ipsa *pharmaci* notio, semper ambiguae fuit significationis. Pauciora vero quaedam nunc ex diuersis materiae medicae capitibus superaddere volupe est medicamenta, prae aliis vsitatoribus suspicionis quodam gradu eminentiora, quorum vsu minus cauto, tanto studiosius abstinendum esse arbitror, quanto certiores temeritatis admodum culposae effectus, ab istiusmodi metuendi sunt remediis, quorum summa ambiguitate, omnis constantioris et securioris curae non poterat non euerti felicitas *).

VI.

Multa sunt, quae inter euacuantia, quorum ope impuritates primis potissimum viis molestae, per intestinalem tubum expelli solent, satis commode atque sine notabili difficultate assumi posse videntur, et quae plus minus copiosis deiectionibus productis, haud exiguum superfluum onerum ex corpore humano eiiciunt collectionem. Vix tamen omnibus subiectis aut ad palatum sunt, aut eodem in omnibus efficaciae pollent gradu. Haerent in quibusdam intra sinuosos intestinales maeandros, atque per se licet leniora visa, longiore tamen sua mora, cum visciditatibus forte irretiantur, aut alia quacunque de causa retardentur, vel plane inertia manent, vel etiam non omnem varias turbas excitandi deponunt facultatem. Propellenda ergo sunt, siue hoc per alia mitiora obtineri non potuerit, adiumenta fortiora quaeruntur. Sunt nonnulli, qui constitutionis suae gnari visi, segniorisque egestionis memores, aut alio

Drastica.
quan-

*) Plura de hoc argumento habet MICH. ALBERTI, in *Tractatu de medicamentorum modo operandi in corpore viuo*, Halae 1720, edito.



quocumque praeiudicio ducti, nonnisi vehementiora cupiunt, qualitatem drastici, euacuandorum quantitati ex voto responsuram, praepostere admodum rati. Desideriis ipsorum repugnasse, medici facilitati, dum omnium cedendum esse putatur arbitriis, repugnare videtur. Ne adeoque, aut renuente aut inscio medico aliquid tentetur, ad drastica confugitur, quae tamen aut dedisse, aut sumsisse, cum nunc grauiores conturbationes excitatae, atque nimium copiosae deiectiones prouocatae fuerint, mox poenitet. Vires nempe exhauriuntur, laudabilem humorum portio, ignobilioribus iuncta, impetuosius eiicitur, quod partium tono et aequilibrio conseruando interuere debebat humorum apte mixtorum vinculum, violentiore ausu disnectitur. Ea nimirum quorundam purgantium est indoles, vt propter stimuli inprimis tum innati, tum superadditi agilitatem, partibus expellendis non solum intimius implicentur, easdemque nimium potenter afficiant, verum solidiorum quoque texturam grauius irritando, fibrasque perpetim vellicando, easdem ad rapidioris motus velocitatem adigant. Fit hoc potissimum a salium acriorum, resinosis moleculis mixtorum qualitate, minus prouide satis temperata, quorum nihilo secius agendi virtutem et proportionem, vel maxime perpendere opus est. Varia autem sunt huiusmodi generis in hac classe remedia, quae, quandoquidem copiosioribus salinoresinosis abundant moleculis, potentioris quoque effectus manifesta satis prouident indicia, non quidem longa demum experientia detegenda, sed a priori statim, atque ex ipsorum textura et mixtione, absque magno labore diiudicanda. In horum numero *scammoneum* haud infimum tenere locum censeo, cuius insignis quidem virtus, potissimum cholagoga, compluribus laudibus legitur commendata, dum biliosis, serosis et acrioribus humoribus educendis creditur accommodata; ipsius tamen adeo praestantem haudquaquam esse indolem, quae omni carere possit suspicione, vel exinde patet, quod, siue resina eius, siue alia correctiora in usum vocentur praeparata, non omnem exsiccandi, cale-



calescendi, atque humores vehementius tandem dissoluendi subductam fuisse facultatem, intelligatur, insuper vero etiam haud leuia tormina excitari animaduertatur, quapropter etiam SCHROEDERVS *) tanto diligentius ab incauto eius vsu cauendum esse monet, quanto certius erosiones, hypercatharses, flatuum turbae, nec non febres inflammatoriae, inde sint metuendae. Vnde facile patet, quam intempestiue in istis adhibeatur subiectis, quibus intestina ex diarrhoea aut dysenteria fluunt, aut quibus plethora molesta est, aut quorum primae viae toni debilitate laborant; quapropter etiam, neque infantibus, neque grauidis, eius vsum commodum esse, vel ex sola parciore, correcti licet scammonei, colligi potest dosi, ex qua, veluti in aliis, ad pauciora grana sumendis medicaminibus, haud obscure cognoscitur, quam parum ipsius fidendum sit effectibus, in refractiore quoque portione non omni dubii euentus suspicione carentibus. Videntur similia propemodum de *Aloe* atque praeparatis eius sentienda. Vix inter antiquiores potissimum pilularum compositiones, hodiernum adhuc in perquam multis officinis sancte asseruatas, massam existere certum est, quae Aloes extracto, destituatur, cuius ope, tum cruditatum pituitosarum tenacitas dissolui et commoueri, tum haemorrhoidalia inprimis molimina ex voto iuuari posse creduntur. Quodsi nempe *pilularum Francofurtensium, aloephanginarum, cochiarum, tartarearum, Rhasis, Emanuelis* aliarumque quamplurimarum, quarum insigni apparatu officinae onerantur, atque tabernae quoque mercatoriae instructae sunt, dispiciamus compositionem, Aloes praesentiam vel solo detegemus odore, alia vt taceam, sub liquidiore forma ex *Aloe* praeparata, neutiquam inter mitiora referenda. Quamuis enim non deficient, qui aloeticorum virtutes eximiis extulerunt laudibus **), haud quamquam

*) In *Pharmacopeia medicochymica*, pag. 798. n. 448. Simili consilio damna ex eius vsu fugienda cupit FOERNERVS in *Selectu materiae medicae*, Lips. 1767. edito, Sect. I. §. 66. et in *Appendice*, §. 370.

***) De hac Aloes commendatione prae aliis contulisse iuuabit ZACVTVM



quam tamen omni ex parte, atque prona statim facilitate istis subscribendum esse existimauerim commendationibus, ut autoritatis quodam saltem praeiudicio ducti, aut vnius alteriusue felicioris successus exemplo commoti, atque re non sufficienter satis explorata, tantam expectari ab ipsis posse credamus utilitatem, quantam de ipsis celebrari legimus, cum etiam aliorum non minus peritorum medicorum concilianda sint iudicia, qui dum in Aloes natura studiosius exploranda laudatissimam posuerunt operam, ipsam non omni carere suspicione, solidis admodum demonstrauerunt argumentis. Quodsi enim non omnem fidem FERNELII, HOFMANNI, aliorumque, in inuestigandis simplicium qualitatibus exercitatissimorum virorum denegare cupiamus obseruationibus, varia utique ex ipsorum scriptis peti poterunt testimonia, quorum pondere conuicti, non magnam in Aloe et aloeticis ponendam esse securitatem, edoceri possimus. Ut enim taceam insignem eius amarorem, a paucissimis ferendum, qua sola iam qualitate, nauseosum admodum euadit medicamentum, odore statim grauiore antequam capiatur molestum, certe ventriculum praeterea, eius non raro impatientem, ipsius vsu vehementer irritari, omni dubio caret, quandoquidem ad eius acrimoniam vel maxime respiciendum est, qua partes interiores subinde vellicat, atque, uti ETTMÜLLERVS autumat *), circa vasa haemorrhoidalia diutius haerendo, fluxum cruentum, satis saepe dolorosum, aut intempestiue prouocare; aut sine successu, inanibusque moliminibus vrgere solet; quid, quod humorum nimiae resolutioni etiam apta fieri possit **). Neque eius vis calefaciendi atque adstringendi prorsus est praetereunda, quam post euacuationem peractam, frequenter admodum experiri solent, qui nonnisi per aloetica purgati,

LVSITANVM, in *historia medicorum principum* Libr. I. hist. 21. nec non ROLFINCIVM in *medicina consult.* Libr. III. Conf. 2.

*) *Operum medicorum* Tom. I. Colleg. chym, in SCHROEDERI Pharmacop. Class. IV. pag. 756.

**) Vid. POERNERVS l. c. §. 63.



gati, aluo obstructa postmodum laborant. Etiam si vero variis modis correctionem ipsius susceptam fuisse, haud ignotum sit, ita tamen omnis eius, in parte tam resinosa quam gummosa delitescens ambiguitas, haud emendari plene poterit, quin semper magis incerti quid ex eius usu metuere, quam constantiorem atque feliciorum ipsius operandi modum, omni plane noxa vacuum, sperare conueniat; vnde et GVIDO PATINVS, aloeticas praecipue pilulas, *diabolici medicamenti* nomine iudicavit dignas, quoniam sanguinem adurendo, humidumque natium horrendo modo; depopulando, corporibus inimicissimum, indeque hominibus quam sollicitè fugiendum merito habendum sint remedium *). Ut nihil iam de *colocynthidis*, *radicis bryoniae*, *turpethi*, similiumque tam simplicium, quam ex his praeparatorum, aut ex minerali quoque regno petitorum commemorem qualitatibus, maximopere suspectis, neque peritioribus ignotis, quorum noxas, suo damno affatim experiuntur, qui empiricorum impudentissimae temeritati, suam tutius, quam periti medici prudentiae concredi posse sanitatem, existimant **).

C 2

VII.

*) Vid. HERMANNI *Cynosura materiae medicae*, Tom. I. Part. I. pag. 692.

***) Pari propemodum ratione, de nimia humorum per sanguinis missionem imminutione iudicandum esse videretur, siquidem speciosis admodum argumentis, non tamen facile omnium assensum laturis, Domini DE MELON, plena habenda fuerit fides. Vid. eius *Gründliche Abhandlung vom Mißbrauch des vielen Aderlassens, oder Beweis, daß die Aderlässe allezeit schädlich, und oft tödlich seyn*. Nürnberg 1774. Potiores ab autore adductae rationes sunt, quod quamplurimi morbi a prava digestionem oriantur, quod venaesectio vitales spiritus imminuat; quapropter hoc praesidium in plethora, in morbis chronicis, in affectibus asthmaticis, in apoplexia, in catameniorum suppressione, in inflammationibus *e. s. p.* reiiicit, verbo, in omnibus morbis damnat, in quibus ut plurimum sanguinea euacuatio, parum apte tamen, indicari videatur, maximoque potius cum damno administrari soleat, quandoquidem paralyfes, caecitatem, aliaque grauia admodum mala, a venaesectioe inducta fuisse, exemplis confirmat, atque aliarum vicissim gentium consuetudinem commendat, quae sine sanguinis missione, longaeuitatis vegetissimae felicitate fruuntur. Quae hypothesis, an sine omni limitatione sit assumenda, peritorum facile erit decernere.



Emetica.

Propior paulo euacuationis obtinendae est via, qua per vomitionem, molestiora ventriculi contenta, cruditarum praesertim collectiones, quandoque venena, aliaue peregrina corpora expelluntur. Non minus numerosus est remediorum huic fini accommodatorum apparatus, ex ditissimo naturae regno petitus, potissimum, si antiquiorum materiam medicam ipsorum medendi methodo opportunam visam, dispiciamus. Qua vero ratione fiat, ut vomitus in corpore humano excitetur, hic vberius exponere vix opus esse puto, cum quae a violentiore ventriculi, diaphragmatis et oesophagi irritatione et spastica commotione oriri solet exturbatio, ad varias causas, tam spontaneas, quam arti tribuendas, reuocanda, multisque diuersimode sentientium controuersis disceptata, copiosius hic non sit explicanda *). Sufficit cognouisse vomitum variorum medicaminum ope prouocari posse, quae prout diuersam particularum miscelam, stimulosque nunc potentiores nunc mitiores obtinent, ita etiam vomitionis effectum, vehementiae gradu diuersum, inducere solent. Omnium tamen propemodum eo redit operandi modus, ut vel acriorum suorum spiculorum ope, vel quantitatis mole, interiores ventriculi, neruosas potissimum partes, aut premendo, aut irritando ad peculiarem prorsus renisum sollicitent, atque talem huic organo mutationem inducant, qua ad contenta sua, eadem qua ingesta fuerant via, impetuosius reddenda adigatur. Quo proinde acriora fuerint, vel et copiosiora, tanto quoque violentior, ab eorum vehementiore in partes actione, producatum oportet effectus. Facillimo hanc ob rem patebit negotio, siquidem specialiore quorundam emeticorum dispicere lubeat indolem, quam parum tutus

haben-

*) De vomitu copiosius agentem conferre iuvabit IO. IAC. VITRIARIVM, in *Dissert. de vomitu* Lugd. Batau. 1721. et MICH. MORGENBESSERVM, in *Dissert. de vomitu*, Lips. 1738. habita.



habendus sit *Mercurius vitae*, cuius quidem vnum alterumue granum abs nonnullis commendatum legitur, cuiusmodi formula apud ETTMÜLLERVM habetur *), veruntamen, cum ne frequentiore quidem lotionem impediri possit, quo minus aliqua corrosiuitatis remaneant vestigia, certissimum erosionis internarum partium metum inductura, tuta hic certe vix ingressurum crediderim via cuicumque hoc modo ventriculum repurgare animus fuerit, praecipue, si hanc officinam acrimonia abundare intellexerit, cuius profecto concursu, stimuli antimonialis robur magis acuat, atque hinc dolorosissimis cruciatibus, nec non inflammationibus, nimium opportunam subministratam iri causam, facile praesciri poterat. Imo; nec ipsum *tartarum emeticum*, hodiernum perquam vsitatum, sua carere ambiguitate, vel exinde patet, quod exilissima licet portione datus, celerrimos quandoque atque potentissimos effectus, neruosas atque musculosas partes irritando, edat, atque vnus saepe granuli excessum, vehementissimarum hyperemesium contumacia rependat. Neque felicior erit expectandus euentus ex *gummi-guttae*, *radicis asari*, *croci metallorum*, *vitri antimonii*, *vitrioli albi*, similiumque, olim non infrequentium remediorum vsu; cum non solum vix sine summis torminibus officium suum peragant, atque diuturniorum nausearum vestigia relinquant, sed stimulis etiam suis vltra ventriculi terminos quandoque progrediendo, deiectiones alvinas frequentiores producant, atque medici intentionem, non sine aegrorum debilitatione deludant, adeo, vt non immerito de his, aliisquod apud antiquiores vsitatoribus emeticis, CELSI valeat sententia, quod nempe, *quae antiqui praeceperunt, omnia stomachum infestent*, atque hinc fugienda sint **). Quanto vero magis per se iam satis dubia sunt vomitoria, tanto quoque maiori certe periculo in variis casibus, vbi audacius adhiben-

C 3

hiben-

*) *Operum medicor.* Tom. I. Colleg. chym. Lect. XXI. de antimonio, pag. 461.

**) Lib. I. cap. 3.



hibentur, ipsorum iunctam esse administrationem, vltro intelligitur, si quando in variolis, aliisque efflorescentiis cutaneis, inflammatoriam febrem comitantibus, impetuosiore isthac corporis commotione expeditius forte expellendis, minus circumsperto consilio procedatur. Etiam si enim quandoque, fati benignioris magis felicitate, quam medentium prudentia, rem ex voto cessisse, obseruationes rariores, ad imitationem nequam propositae, testentur, infallibilem tamen normam inde esse stabiliendam, ad cuius ductum, exoptati successus spes, in similibus capi possit casibus, vix quemquam, cui status corporis, in quo istiusmodi versantur aegri, perspectus est, constanter asseueraturum confido, cum ignotum nemini esse queat, quam parum impune, humanae liberum sit temeritati, naturam ab ea, quam sibi proposuerat ingredi via, omnium certe tutissima atque optima, violentius deturbara, ipsamque inuitam, neque semper quidem rationalis methodi coeptis obsequiosam, imprudentioris tentaminis legibus submittere.

VIII.

Adstringentia et repellentia.

Non vero semper, vt humores e corpore humano euacuentur, necessum est, neque proficuum, quin potius, vt intra vasa sua coerceantur, omnis adhibenda saepe est cura, ne immodica ipsorum profusione, atque virium insimul inducta imminutione, omnis, circulo isto intercepto, se-et excretionis pariter ac nutritionis euertatur ordo. Fieri autem. vel inuita quandoque solet natura, vt, dum humorum, a causis plus minus violentis, tam internis, quam externis, contingit effusio, ipsorum quoque, quod cum solidis tenendum est proportionatum commercium, notabili admodum conturbetur modo. Hoc prudenter conseruare, artis est. At nihilo minus praecocius rem aggredi. atque ad vehementiora statim remedia, nisi summa imperauerit necessitas, properare, intempestivam innuere videtur aut timiditatem, aut inconsultam temeritatem. Vulnera quandoque infliguntur magna satis, quamvis

vis



vis non semper insigniorum vasorum facta fuerit laesio; largior interim eorum subinde est cruentatio, ita tamen non protinus extimescenda, vt sanguinis flumen eapropter subito cohiberi oporteat, cum potius in protracta tantisper eius profusione, tanto facilius plagae inflictæ posita esse possit sanatio, quanto certius, impetuosior sanguinis affluxus, intempestiua suppressione cohibitus, inflammationi, atque eius comiti feбри grauiori prouocandæ, atque consolidatione impediendæ, nimium euadere solet opportunus. Haud raro quippe, qui ab initio copiosior effusus fuerat sanguis, sponte quoque cohibitus, glutinosa sua grumositate, quam circa exteriores vulneris oras haerens contraxit, consolidationem quoque, exoptato admodum iuuat successu, tanto minus tuto sperandam, si quidem per adstringentia, nimiumue insimul acria extremorum vasorum ostiola conrispata, atque labiorum fibrae exesæ, obstructæ, et abbreviatæ fuerint; vnde, dum puris maturioris elaborationi, atque nouellorum vasculorum elongationi, sine qua vulnerrum coalitio numquam succedit, insigne ponitur impedimentum, et rodentis potius ichoris malignitati infaustissima paratur via, vlcerosam vulnerrum inductam impuritatem haud quaquam mirari conueniet, non nisi puri vulneris conditione restituta corrigendam. Vbi tamen insignioris vasis facta fuerit dissectio, cunctando rem protinus in peius verti posse, haud vllum omnino est dubium, cum immoderatiore sanguinis ex capaciore vase profluuiio, citissimam opponendam esse medelam, ne, viribus vna cum sanguine exhausti, in summum periculum praeceps detur aeger, et ratio et necessitas indicant. Quod, quam variis fieri possit modis, copiosius hic non exponendis, chirurgicæ artis peritos haud fugit. Hoc saltem addidisse satis erit, in ipsa istiusmodi vulnerrum constrictione atque cruentationis suppressione suscipienda, eo maiorem adhibendam esse circumspectionem, ne vasa, partesque ipsis vicinae, stipticorum applicatione erodantur, atque, quæ auerti intendebatur inflammatio, citius potius prouocetur, aut quæ vulnerrum inducenda erat
crusta,



crusta; ante tempus iterum soluta, nouis effusionibus cruentis libertatem largiatur. Quod, cum saepius in applicatione *lycopodi* accidat, cuius quidem virtutem, sanguinem cohibendi, fibras constringendi, et crustam vulneratis partibus inducendi, admodum efficacem esse constat, neutiquam tamen ita ab omni suspicione liberum esse hunc fungum, quamplurimorum exemplorum innotuit testimoniis, quin et, ne nimium exedendo et exsiccando, consolidandarum partium restorationi magis officiat, attente satis prouidendum sit. Vti enim plurima profecto soli naturae debentur beneficio, pauciora vero medicamentis, ita et in his, similibusue casibus, salutaria eius molimina violentiore cohibere modo, tanto minus consultum erit, quanto saepius impetuosiores ipsorum suppressionem, aut affectae parti, aut vniuerso etiam corpori funestam fuisse constitit. Non minus periculosum statum, corpori per adstringentium et repellentium, in internarum partium affectibus parum cautum delectum conciliari, tanto patet euentius, quanto certius hac ratione se - et excretionum functiones impediuntur, ipsisque, quibus humores continentur, vasorum parietibus, nimia rigiditas et strictura inducitur, circuli sanguinei libertati grauissime obfutura, atque totius machinae corruptionem, quale quid in gonorrhoea intempestiue suppressa contingit, prouocatura; quam certe attentionem, in mensium, lochiorum, haemorrhoidum copiosiore fluxu, aluinis profluuiis, consimilibusque fluidorum cuiuscunque generis effusionibus, non omnino praetermittendam esse, nemini non, noxarum ab incauta tali repulsionem metuendarum gnaro, perspectum sit oportet. Quo nempe sensiliores internarum partium sunt fibrae, eo leniorem quoque cupiunt medendi methodum, ab omni violentioris irritationis commotione remotam, neque vnquam, nisi maxime vrgens imperauerit causa, mutandam. Quicquid enim audaciorum quandoque factum fuisse tentamiuibus, et adhuc etiam fausto interdum cum successu fieri compertum est, tanto minus peritiorum quemquam ad imitationem excitare debebit, quanto pro-

pro-



probrosius est, ex factis, inconsulta ratione susceptis atque fortuitorum rariorum euentuum vno alteroue exemplo numquam sufficienter confirmatis, vniuersales stabilire regulas. Vnde et est, quod vix omnium suffragiis euinci possit, tantam inesse nonnullis *saturninis et martialibus* *), aliisque similibus, maximopere saepe commendatis remediis virtutem, qua, quam prae aliis tutioribus, mitioribus, atque frequentiore vsu probatis, sibi per patronos suos vindicare annituntur laudem, ipsis iusto eripere valeant nomine, cum semper ab angue, clanculum in herba latente, atque a medicamento, sub dolosa salubritatis larua lentam corrumpendi facultatem occultante, tanto metuendum sit magis quanto saepius benigniora etiam, atque exacta cum prudentia data remedia, spem de se conceptam fallere, atque minus praeuisis effectibus, optimam dexterrimi medici intentionem deludere solent.

IX.

*) Hic imprimis *saccharum saturni*, et *crocum Martis adstringentem* intelligendum esse, facile apparebit. Quamuis enim in eximiis plane horum praeparatorum virtutibus commendandis, non leuem posuerint nonnulli operam, ita tamen nondum res decisa existimanda erit, vt absque villo discrimine ad illorum transiri possit vsus, cum, qui in prioris praeparatione, calci saturninae affunditur *spiritus vitrioli*, aliusue acidus, crebriore licet solutione post crystallisationem peractam instituta, vix tamen suam ita plane mutare soleat indolem. vt omni, lente exsiccandi facultate liberum impetretur productum. Conferantur, quae super hoc argumento exposuit b. HUNDERTMARCKIUS in Prog. *de sacchari saturni interno vsu salutari*, Lips. 1741. edito, non, vt temeritati via aperiatur, sed vt hoc medicamentum circumspecte administretur, scripto. Idem propemodum de martialibus valebit, potissimum de *croco Martis adstringente*. Omnia quidem martialia, vi quadam adstringente pollere, neque ipsum crocum aperitiuum eius prorsus esse expertem, communibus chemicorum dudum euictum est suffragiis, pro diuerso tamen praeparationis modo, nonnulla ex iisdem adstrictionis quoque gradu differre, facile liquet. Cumque croci adstringentis efficaciam, acido phlogistico carbonum accedente augeri, non sit ignotum, haud omni ex parte illorum subscribendum esse opinor sententiae, qui in fluxionibus internis, dysenteria, diarrhoea, cet. ipsius vsus prae aliis tutioribus celebrare solent. Rectius hac in re sentit POERNERVS, loco supra cit. §. 187.

D



Analeptica.

Variis praeterea accidit de causis, vt spirituum, quos animales, vitales, aut nerueos appellare quidam solent, liberior cursus atque alacritas intercipiatur, tantaque ipsorum quandoque contingat inopia, vt aegris, incredibili lassitudine, aut subito, aut sensim correptis, vix sensus sui obsequium praestare, nedum reliquarum partium functionibus debite peragendis, moribusque congruis expeditius exercendis apti satis esse valeant. Euenit hoc vtplurimum, aut ex morborum diuturniorum et pertinaciorum grauitate, aut summe malignorum etiam atque repente inuadentium insultuum rapidissimo impetu, vt viribus vel sensim exhaustis, vel subito absumtis, omni propemodum vitalitatis robore destituta videantur miserorum istorum corpora, aut lento tabificoque languore penitus extenuata, aut inopino insultu debilitata. Quo vero magis necessum est, vt congrua semper virium vigeat proportio, sine qua, reliquarum actionum ordo saluus, corporisque salubritas integra persistere nequit, tanto maiore quoque cum diligentia est vigilandum, vt in causis, hanc sanitatis integritatem conturbaturis, apte removendis, numquam paecipitante quidquam suscipiatur consilio. accidit interim quam saepissime, vt, dum confestim atque repentino impetu, sanissimus antehac homo, omni sensus aut motus facultate priuatur, illico ad reficientia fortiora, maximeque spirituosam et volatilia, officiosissimis manibus exhibita, properetur, non semel iterumque, sed frequentioribus vicibus, tam externe applicata, quam et ori infusa, quorum nimirum ope, spiritus efficacius reuocari, suppressi sensus excitari, atque motus intercepti restaurari possint. Neque omnino vana prorsus deludi spe, quibus ad ista confugitur praesidia, frequens affatim docet experientia. Redditur sibi aeger, torpida antehac, ad functiones suas redire incipiunt membra, suppressa prius, ad officia sua reuocantur sensuum ministeria, atque cito sublatum putatur malum, haud tamen *tuto* semper profligatum

gatum



tum. Intempestiuum nimirum non raro metum incutiunt nonnulla mala soporosa, a leuiore quandoque causa oriunda, qua cognita, quam parum opus fuerit, tumultuosius aduersus eadem egisse, haud obscure postmodum intelligitur. Laborat saepenumero ventriculus, incongruorum ciborum modo oppletus, cruditatibus praegravatus, anxietates, pressiones, nau-seas, tormina, imo, si flatuum incarceratorum accesserit accumulatio, lipothymias quoque producentibus. Constricta saepius sunt femellarum et puellarum, stramineam corporis gracilitatem amantium pectora atque abdomina, thoracibus rigidioribus infibulata, quare nau-seas, vomitiones, animique defectiones *), indiuiduos utplurimum nitelae huius comites, neque mirari decebit, neque nimium statim expauescere conueniet. Eadem fere similium incommodorum causa, in terrore, ira, repentina refrigeratione, inopino gaudio, plethorico statu *e. s. p.* quaerenda, hac ipsa sua diuersitate, nihil minus quam vnam eandemque medendi rationem indicat. Quid ergo opus erit, caput, crassiorum vaporum onere iam satis grauatum, atque ex vasorum distensione affectum, spirituosis haliibus magis conturbare, aut copiosiore eorundem infusione ventriculum vehementius irritare, aut rapidiorem sanguinis in plethoticis motum stimulo, ad vasorum rupturam vsque exagitare? cum lenioribus certe reficientibus, thoracum relaxatione, moderatiore frictione, potus tepidi usu, venae sectione, *cet.* plus praestari tutius possit, quam potentiorum remediorum locupletissimo apparatu, mali causam nullo modo sublaturis, quin potius grauitatem eius subinde aucturo, indeque inter ambigua aut plane nociua ponendo. Quodsi tamen, propter summum, in quo vita est periculum, ex prudentioris medici consilio, subitanea succurrendum sit refectione, necessitati quidem, omni lege superiori, cedere conueniet, nimium tamen praecipitanter,

D 2

atque

*) Confer. b. 10. ZACHAR. PLATNERI *Dissertatio de thoracibus*, Lips. 1735. habita.



atque fortiore impetu si rem semper expediri posse credatur, irritum profecto, nisi plane perniciosum euentum, laboris improvidi omnem spem eversurum, certa satis metui poterit praesumptione, cum, quod adhuc superest vigoris, a nervorum et fibrarum imbecilliore tono, atque liquidi neruei inopia aut debiliore motu utcumque expectandi, simul et semel dissipatum et absumentum, neque noua statim accessione restaurandum, malo potius augendo quam emendando inseruiat. Prouidi enim erit medici, ita aegrorum metiri conditionem, ut, tum de viribus excitandis cogitandum est, corporis debilioris conueniente ratione semper habita, ipsum quoque robori suo cum fructu recuperando paulatim adsuefaciat, neque impetuosiori excitationi ferendae haud pares futuros praescire poterat humores, aut nimia exagitatione in praecipitem cursum datos, aut subito dissipatos, ad officia solidis praestanda prorsus reddat ineptos. Non ergo omni ex parte ab eorum stari posse videbitur sententia, qui, cum ad excitantium, siue sic dictorum cardiacorum supellectilem deueniendum esse intellexerint, *tincturarum solarium, ambrae, moschi, camphorae, liquoris C. C. succinati, spiritus salis ammoniaci, similiae remediorum, oleosis, sulphureis, salinis volatilibus particulis abundantium*, interno pariter ac externo usu maligniorum inprimis morborum saeviente atrociam, rem feliciter peractam iri confidunt *). Quod si videlicet in febribus istis, impetuosissimo sanguinis motui, summam nihilo secius debilitatem non raro inducenti iunctis, eadem semper incedere lubuerit methodo, verendum profecto erit, ne, quae nondum indominabilis fete erat inflammatio, nunc incremento velociore, propter sanguinis aestum vehementius accensum contracto, tristiores gangraenosae corruptionis lusura sit scenam, vix vlla arte mutandam. Idem sentiendum erit

*) Vid. quae Illustr. b. DE HEVCHER, in *Dissertatione de igne per ignem extinguendo*, Viteberg, 1712. habita, non sine limitatione applicanda, proposuit.



erit de languidiore Venere, per efficacia nimium auxilia, ab inertibus horum castorum militibus petita, parum apte tamen exhibita, resuscitanda. Siquidem, cum absque stimuli fortioris impetu, obtineri haud posse existimetur, vt, qui segniores erant spiritus, a suo torpore excitentur, atque vegetiore per omnes corporis partes ducantur motu, fibrarum sane, hac ratione vehementius sollicitatum, tanto celeriore metuere conueniet relaxationem, quo facilius impetuosior haec ipsarum tensio, ob atoniae causam non sublatam diu haud sustinenda, atque imprudentiore vi laceffita, easdem non solum ad pristinam, verum pertinaciorum adhuc disponere valet infirmitatem, ne quid dicam de ineuitabili ipsarum laesione metuenda, si quidem, quod haud infrequenter euenisse notum est, in acriorum salium stimulis maxima ponatur spes; quanta enim mala a *cantharidum* suspectis quam maxime facultatibus produci soleant, vberiore haud indiget probatione, innumerorum tristissimorum exemplorum veritate ipsius vices sustinente.

X.

Tristis non minus atque summopere omnino deploranda ^{Narcotica.} est aegrorum status, priori fere contrarius, cum tanta spirituum est rapiditas, vt impetuosissimo cursu, inordinataque copia ad partes deproperent, ipsamque humorum circulationem ita accelerent, vt nec liberior ipsorum per vasa expediri possit transitus, nec secretionum functiones, quae placidum humorum postulant motum, nisi confuso ordine peragantur, ex ipsa vero humorum in vasis accumulatione, pressionum atque dolorum pertinaciorum, aegerrime quandoque ferendorum, molestissima percipiatur sensatio, inquietudinibus, vigiliis, spasmodis et conuulsionibus opportunitatem subministratura, quam tanto acerbiorum experiuntur aegri, quanto manifestiora acrimoniae refractariae indicia, tristiorum istorum effectuum causam comitantur, et quo nobiliora et sensiliora organa inde afficiantur. Vbi ergo dirissimos dolorum cruciatus, aut spas-



morum stricturas, nullis remediis solvendas, atque indomabili
 contumacia furentes, compescendas esse, necessitas imperare
 videtur, ad sacram *Opii* atque opiatorum confugi solere ancho-
 ram, res nec imperitissimis medicastis est ignota. Siue ta-
 men Indicum, siue Thebaicum, priori subtilius, adhibeatur,
 atque correctione quoque emendetur, id quod ut plurimum to-
 stione tentatur, qua maxima sulphuris volatilioris pars abigitur,
 omnem tamen in ipsius usu adhibendam esse circumspectionem,
 non sine ratione praecipiunt, qui in qualitatibus eius disquiren-
 dis, atque frequentiore experientia confirmandis, haud vulga-
 rem posuerunt industriam, ne, qui ad moderatum torporem
 redigendi, atque placide obsopendi erant spiritus et nervi, ni-
 mium tandem cohibeantur, relaxentur, atque liberior fluidi
 neruei ad partes distributio plane supprimatur. Imo, nisi Opi-
 um tostum protinus adhibitum fuerit, novas quasi vires ex aere
 ipsi accedere, ex quibus pristinam dolosorem recuperet ma-
 lignitatem, per experientiam notissimum est. Multae quidem
 sunt, quae inter autores de *Opii* natura, eiusque usu tam ce-
 lebrando quam impugnando, controuersae leguntur sententiae,
 dum nunc frigidae qualitatis contenditur esse succus, quoniam
 calori vitali supprimendo, et sensibus obtundendis aptum sit;
 nunc vero calidioribus principiis pollere putatur, ob sudorem
 ex eius usu prouocatum, atque sitim excitatam. Veritati au-
 tem haud videtur absimile, inesse Opio sulphur admodum co-
 piosum, salinasque praeterea particulas, chemico labore facile
 impetrandas; unde haud difficulter apparet, priorum ope,
 impetum humorum refrenari, atque fibras neruorum ab blan-
 dam tranquillitatem disponi, per posteriores vero humores le-
 niter moueri, resolui, atque sudorem, quale quid etiam somni
 naturalis tempore subinde contingit, prolici. At enim vero,
 quantumcumque sit solatii, ex Opio nonnumquam, summa ne-
 cessitate urgente, capiendi, omni tamen dolo ipsius usum
 haud vacare, neque etiam exoptati effectus spem semper adim-
 plere, complurium obseruationum constat testimoniis. *Quam-*
vis



vis enim inficias iri nequeat, doloris remissionem haud raro ab Opio impetrari, atque *sensum* doloris aliquamdiu supprimi, tantam tamen ipsi haud quaquam esse efficaciam, facile iudicare licet, qua *causam* morbificam, dolorem videlicet facientem, omni ex parte remouere, atque ita suo officio fungi possit, vt noui impetus recursus avertatur, et, quod maximum est, partium affectarum tonus nihil quidquam detrimenti patiatur. Enimuero plus simplici vice euenisse constat, vt, qui per Opium obsopiti aliquamdiu fuerant spiritus, nouis nunc viribus collectis, maiore cum ferocia desaeuire inceperint, ita, vt deliria, summaeque cerebri conturbationes, remedii huius heroici ambiguitatem, luculentis admodum manifestauerint indiciis. Praeterea quoque, facili colligi poterit labore, quantopere, dum solidae partes relaxantur, humores vero insigniter attenuantur, atque ad resolutionem aut acrimoniam etiam disponuntur, plurimarum partium functiones debito suo priuentur vigore, ita, vt effectibus quoque adhinc pendentibus, haud leue ponatur impedimentum, ipsaeque potissimum se- et excretionum ordo, grauem satis inde patiatur conturbationem; vnde et est, quod lassitudines contumaciores, aut perpetuus etiam stupor, aluinae obstructions, artuum tremores, aliaque rebellia admodum symptomata neruosum imprimis genus afficientia, ab hoc remedio satis quidem generoso, semper tamen suspecti quid occultante, merito sint, metuenda, quorum adeoque pericula, de cautiore ipsius, similiumque narcoticorum administratione, neminem non serio monere videntur *).

XI,

*) Plura tamen in Opii virtutibus commendandis, quam noxis etiam enumerandis, habentur apud ZWELFERVM, in *Pharmac. reg.* et apud WEDELIUM in *Opiologia*. Modus vero, Opium varia arte corrigendi, passim apud chemicos reperitur, ex quibus conferti possunt SCHROEDERVS in *Pharmacopoeia medicochymica*, Libr. IV. Class. 2. N. 314. ETTMÜLLERVS *Oper* Tom. I. Coll. *Pharmac.* Class. II. pag. 687. Quae de *extracti hyoscyami* minus tuto vsu, ad hoc argumentum pariter applicando collegit b. LUDWIGIVS, legi merentur in *Aduersariorum medico-
practi-*



Remedia de-
sperata.

Tanta praeterea pertinacissimorum sublinde morborum est atrocitas, ut, dum nullis plane regularis methodi molimini- bus compescendi videntur, prudentissimorum medicorum indesinenter exercent consilia, ipsorumque non solum eludant conamina, sed etiam in deteriorem saepe statum degenerantes, luculentis edoceant testimoniis, quantopere mala refractaria, doctissima arte sint superiora. Quorsum ergo in talibus malis, efficacissima medela oppugnatis cum cuncta diu in cassum tentata fuerit de veniendum? nihil quippe agendo, rem minime expeditam iri, praesciri facile poterat. Ad desperata itaque confugiendum tandem erit praesidia. At, pudeat sanio- rem medicum solius nominis, nedum applicationis. Quod si vide- licet vel minima adhuc auxilii spes affulgeat, rem desperatam esse iniquum erit credere, si nulli plane remedio locum esse, certissimis augurari licuerit indiciis, quod, an indubitatis euin- ci semper possit argumentis, iam copiosius disquirere non atti- net, ecquid desperatis proficietur, plus saepius nocituris, atque fatalem mali decursum acceleraturis? cuius symptomata, quan- tum per artem fieri potest, leniisse sufficit, cum causam tollere non licuerit, quandoquidem *numquam desperandum esse, ubi nihil sperari poterat* *), antiquissimorum sapientum praecipitur con- siliis. Quamvis enim complures, ignorantia dicam, an teme- ritate ductos, ad extrema quaevis audenda paratissimos esse, haud infrequenter intelligamus, incertorum tamen istorum remediorum administratione, saepe quoque factum fuisse con- stitit, ut, qui per indolis suae rationem diutius productus fuis- set morbus, in pessimum statum subito nunc mutatus, funesto exitu maturius fuerit solutus. Nolim, interim cuncta pro de- spera-

practicorum, ab ipso Lipsiae 1769. editorum, Vol. I., Part. I. Num. 2. pag. 71. seq.

*) SENECA in *Medea*, v. 162.



peratia haberi, quae quidem hoc nomine vulgo venire solent, quorum nihilo secius vsum, refractarii morbi qualitas efflagitat, et ad quae, omnibus efficacioribus praesidiis destituta, in statu nondum omni spe vacuo, confugere coguntur rationalia medicorum consilia, multorum satis exoptatorum eventuum exemplis suffulta. Sic, si in passione iliaca, ad *mercurii viui* internum deuentum fuerit vsum, non omnino plane desperatam susceptam fuisse rem, existimauerim, nisi inflammationis et corruptionis gradus tanta iam ceperint incrementa, vt tam ex morbi diuturnioris duratione, quam ingrauescentium symptomatum malignitate, ineptum esse iudicari possit, illud nunc agere, quod dudum ante agendum erat, quam malum per longas inuauerat moras, heroici huius remedii efficaciam repudiaturas. Neque etiam brachium aut pedem amputasse, arteriam incidisse, bronchotomiam aut lithotomiam instituisse, cranium perfodisse *et.* desperatam indicabit medendi methodum, cum sine sufficiente ratione tale quid a prudente medico auderi, numquam suspicandum sit; at enimvero, sero nimis, viribus iam exhaustis, sphacelo dominante, cumque mors limina pulsatur, talem instituere operationem, tanto minus prudentiae regulis conuenit, quanto certius sinister euentus, intempestiuae cunctationis errorem rependens, praeuideri poterat. Quinimò, quamuis etiam opportuno satis tempore, nonnullorum remediorum et operationum heroicarum administrationem suscipi intelligamus, adeo tamen constante cum fiducia faustum haud quaquam expectare aut polliceri poterimus eventum, quin subinde maiorem metui quam spei concedendum esse locum, profitemdum sit.


XII.

Omniū vero denique remediorum, et innocuorum, et suspectorum, perniciosissima censenda sunt, quae, vt ab imperitioribus absque vilo rationali exhibentur consilio, ita vel hac

Sufrecta sunt omnia, quae ab insciis dantur.

E

sola



sola de causa, cane peius et angue fugienda sunt. Est nihilo secius tanta quandoque morosiorum aegrorum imprudentia, vix vnquam seuerissimis adhortationibus flectenda, vt morbi non medici culpa, sed naturae reluctantis duritie protracti impatientes, atque molestioris morae pertaesi, quiduis potius tentando, quam patientius expectando, salubrioris decursus euentum serius experiri malint, lubricisque seplasiariorum, empiricorum, idque genus blateronum, quorum saltem nomina nosse pudet, persuasionibus, et sesquipedalium pollicitorum dolosis fumis capti, hos deos ex machina sibi venire rati, laetissimis homunciones istos excipiant manibus, vniuersumque, quem in vapida crumena secum ferunt, aut scurrili clamore in compitis celebrant apparatus, teruncii saepe haud aestimandum, ob diuinas, quibus in vniuersum pollere declamatur virtutes, quovis auro censeant pretiosiores. Et satis quidem frequenter fieri animaduertimus, vt, qui vno fere momento, ab omni se liberos euasuros molestia, laetissima crediderant fiducia, mox morbi violentia, imprudentiore incongruorum remediorum vsu aucta, suae, quam in medicum rationalem posuerant diffidentiae, dignas ex merito dare cogantur poenas. Ecquis enim est, quin sciat, quam illicitis plane artibus, ista impudentissimorum impostorum, medicinam faciendi, atque aegros decipiendi, imo misere torquendi, innitatur methodus, parum a profundissima ignorantia, atque dementissima temeritate, indiuiduo prioris comite, aliena, dum, quod mitiore modo, atque paulatim impetrari non posse, praepostere arbitrantur, summa vi perficere audent, de grauioribus damnis, inde serius ocus orituris, nihil solliciti, dummodo coeptorum suorum sat largum, anticipando, vti saepe moris esse solet, consequantur praemium, re fati benignioris beneficio melius cedente locupletius expectandum. Qui vt tanto citius obtineatur finis, tumultuario modo res optime expedita censeatur. Dedecere enim videtur medicastrum, per gradus
ire,



ire; atque naturae molimina, variis temporibus varia attente obseruare, atque prudenter dirigere. Herois potius est, hostem subito, atque plenis armis aggredi. Violentissimis ergo atque inusitatis vtendum est medicaminibus, non tuta efficacia eminentibus, sed operandi vehementia praestantioribus, quae, siue exterius applicentur, siue interius adhibeantur, omnem quidem morbi faciem saepe mutare, imo meliorem etiam statum inducere videntur, adeo tamen inopino successu in deterius vt plurimum ruentem, vel etiam morbi causam, a pristina sede depulsam, ad nobiles partes deriuantem, vt, quod diuturniore assiduitate, atque mitiore modo expugnari denique potuisset malum, nondum penitus consummatum, aut sua natura molestum magis quam periculosum, propter vires intempestiue consumtas, humores conturbatos et deprauatos, viscerum functiones suppressas, omnem rationalem medelam, seroninium petitam, respuat, atque exitiosorum istorum conaminum praeuisum euentum, tristibus admodum documentis confirmet. Tali autem irrationali methodo, podagram, arthritidem, varii generis febres, scabiem, venereos morbos, *e. f. p.* perniciosiores fieri, quotidiana affatim loquitur experientia. Et, qui quaeso aliter evenire poterit, quam vt facta istorum artis medicae carcinomatum, ventosis numquam respondeant ostentationibus, cum profundissima medicarum disciplinarum teneantur ignorantia, quapropter tanto studiosius ab eorum cauendum est medicaminibus, quorum vix nomina, nedum vires norunt, quanto periculosius est, gladio in manu furiosi detento occurrere, atque ab alio medelam expectare, qui, dum ipse vlceribus scatet efficaci, quo suis provideat vitiis, consilio et ope destituitur. Hae vero sunt acerbiora illa rei medicae fata, quorum duritie ipsam omni tempore fuisse pressam, tum antiquorum testimoniis, tum quotidianorum adhuc exemplorum accessionibus abunde constat. Hac dolosa, artem finistre administrandi licentia, longe lateque vigente, atque prouincias



depopulante, quid mirum, quod nec rationalem medendi methodum suspitione carere opinentur, qui supra vulgus sapere visi, cuncta, non ad veritatis, sed straminei ingenioli sui modulum metiuntur, helleboro, vt sanius sentire discant, merito purgandi.

VIII.

Conclusio,
qua,

non vsus me-
dicamento-
rum reiici-
tur;

prudens ta-
men admini-
stratio com-
mendatur.

At enimvero, subsistendum hic tandem est, ne vniuersum, qui per se talis non semper est, materiae medicae apparatus, suspectum reddere voluisse videar, cum potius, quaecunque dicta fuerunt, ita haud intelligi velim, quasi omni plane vtilitatis laude indigna censenda sint, quaecunque ex pharmaceutica suppellectile in humani corporis vsu depromi consueuerunt. Non enim sum inscius, quam parum cunctis istis, quae a natura liberalius nobis offeruntur muneribus, varia praeterea arte in commodiorem vsu vertendis, superfedere possimus, et quam saepe ad validiorem quoque deueniri oporteat apparatus, cum pertinacioribus omnino morbis, aut robustioribus etiam corporibus, paulo fortiora quoque accommodanda sint remedia, potentius quidem, sine perniciosa tamen conturbatione agentia. In hoc videlicet maximam positam esse debere medici curam, ex iam dictis facile intelligetur, non, vt promiscue ad quaelibet remedia exhibenda properetur, quae vel illecebroso nominis splendore, vel quacunque illa specificae vtilitatis pompa, mirabilem prorsus polliceri videntur efficaciam, sed vt cognitis prius eorundem qualitatibus, et subiectorum, temperamentorum, sexus, aetatis, *et.* collatis conditionibus, qualia seligenda sint, sollicite diiudicetur. Cumque a sola medicamentorum agendi ratione, ex theoreticis tantum principiis cognita, aut fallacibus hypothsibus supposita, sanitatis spes neutiquam pendeat sed circumspectae potius medici administrationi frequentiore experientia suffultae vtplurimum

num

num debentur, vix certe mirari conueniet, si quidem re fe-
 cius suscepta, quod metuendum ceteroquin haud erat malum,
 aut vltro inuitatum, aut imprudentins exacerbatum, omnem
 tandem felicioris euentus spem supprimat; quandoquidem vix
 quidquam illo aegrorum statu tristius dici aut cogitari posse exi-
 stimauerim, quam

*si, quae sunt parva saluti,
 vertat in exitium non sollers cura medentis,*



CANDI

CANDIDATO DIGNISSIMO

S. D. P.

P R A E S E S.

Etsi cum animi non leui commotione recordor illius temporis, quo coram ordine nostro profectuum tuorum rationem nobis reddebas, quippe quod contigerit praesente adhuc, desideratissimo, nobis nuper demum erepto, Decano Plazio, qui et Tibi cathedram aperire et honoribus te condecorare pro eo quem ordo exigebat, modo tunc auebat; laetor tamen me, quem is diligebat antiquo more, nunc ea perficere posse, quae triste uobis, ipsi denegauit fatum. Gaudeo simul, debilitati iam senis labores, academicos enim singulari nec imitabili cum promptitudine paratissimos habebat, in proposita a Te dissertatione, cui praesse mihi data est copia, conseruandae eius memoriae monumentum gratum nobis reliquisse. Hoc itaque publi-

cum



cum praeceptoris optimi documentum perennem Tibi suppeditabit oportunitatem, imitationis genuinae, in perscrutandis rerum naturis et accurata remediorum adhibendorum peruestigatione, quae collecta cum viribus aegri, morbi eiusque causis non falli medentem patitur. Faxit itaque summum numen, ut hoc incedens tramite, comitem experiaris fortunam. Viue felix in tui et aliorum commodum, persuasus, et me de Tua felicitate semper esse gauisurum. Vale. Dabam Lips. d. 31. Mart. 1784.
